

Pius II. an Bartholomäus von Liechtenstein. Nachdem er alle während der Gefangenschaft des NvK unter Zwang getroffenen Verfügungen aufgehoben und die Verwaltung des Hochstifts Brixen an sich gezogen habe, ernennt er Bartholomäus erneut zum Hauptmann von Bruneck und päpstlichen Familiaren.

Kopie (gleichzeitig): ROM, Arch. Vat., Reg. Vat. 477 f. 121^v (= V¹); BERNKASTEL-KUES, StA, Cod. Cus. 221 p. 137 (= K²).

Regest: Brosius/Scheschkewitz, RG VIII 61 Nr. 385.

Erm.: Jäger, Streit II 101 Anm. 1 (mit Datum 14. August 1460).

Unser Text folgt der Abschrift V.

Pius etc. Dilecto filio Bartholomeo Lichtenstainer Tridentine diocesis salutem etc. Cum omnia, que violenter a dilecto filio nostro Nicolao tituli sancti Petri ad vincula presbitero cardinali, episcopo Brixinensi, dum esset in manibus Sigismundi ex Austrie principibus extorta sunt per nostram declaratoriam sententiam sint cassata, irritata et annullata, inter que est, quod tu ut capitaneus de Bruneck in manibus prepositi Brixinensis³⁾ nomine capituli eiusdem ecclesie eandem acceptantem quandam fecisti in incon- 5
suetam promissionem ultra illam et convenientem, quam cardinali et episcopo prefato dudum ante prestitisti, hanc quidem promissionem irritam et non servandam declaravimus. Cumque nunc ad nos administrationem in spiritualibus et temporalibus eiusdem ecclesie advocaverimus, ut hec in aliis nostris litteris continentur, ordinaverimusque omnes capitaneos et officiales, qui in suis officiis ante dictam cardinalis captivitatem fuerunt, libere, uti erant ante violentiam, reponi debere, hinc nos de tua fidelitate 10
et ydoneitate sufficienter informati te in nostrum familiarem presentium tenore recipimus et te in capitaneum Bruneck, uti eras ante diem Pasce proxime preteritum, libere reponimus et nostra auctoritate tibi dictum capitaneatum secundum tenorem priorum litterarum tibi a dicto cardinali traditarum constituimus per prestitum eidem cardinali per te iuramentum iniungentes, ut ipsum capitaneatum et unicuique iusticiam fideliter administres et iniuriantibus fortiter resistas. Quocirca omnibus illi tuo capitaneatui 15
subiectis precipimus et sub excommunicationis, banni atque perdicionis bonorum penis mandamus, quatenus a te vigore presentium litterarum nostrarum seu verarum copiarum eius requisiti tibi in omnibus pareant et obediant, quemadmodum in anno ante proxime preteritum Pascha paruerint.
Datum Senis anno etc. m cccc lx^o, quartodecimo kal. septembris pontificatus nostri anno secundo.

¹⁾ *Neben dem Text:* Ja(cobus) Papiensis (= Jacopo Piccolomini Ammanati, apost. Sekretär). *Unter dem Text:* T(homas) de Castello (= Tommaso di Camuffi da Città di Castello, apost. Schreiber).

²⁾ *Über dem Text:* Bulla pro Bartholomeo Lichtenstainer per Gasparem (sc. von Oberweinper).

³⁾ Jakob Lotter, Brixner Dompropst.